

eti sunt, succedant in bona ab ipso provenientia, in reliquis æqualiter omnes. VI. His quoque deficientibus succedunt propinqui collaterales, usque ad decimum gradum, & quidem singuli in capita, *auct. post fratres*. Tandem cum nulli sunt propinqui usque ad hunc gradum, succedit uxor: qua mortua, jus habet fiscus sæcularis ad bona laici ab intestatu defuncti, & ad bona Clerici fiscus Ecclesiasticus.

156. His adde sequentia, scitu necessaria: 1. hæres non solum jura, & bona defuncti, sed ejus etiam debita, & onera in se transfert; ita tamen ut supra vires hæreditatis non obligetur, & deductis sumptibus funeris, & soluto ære alieno, quartam saltem hæreditatis partem obtineat. Hæc vocatur *falcidia* in legatis, & donationibus mortis causa, *Trebellianica* in fidei commissis, cuius beneficio possunt hæredes, si ex hæreditate non supersit, eam detrudere legatis, non tamen piis. 2. Ut hoc beneficio fruatur hæres, tenetur conficere inventarium intra dies 30., vel saltem 60.; ab hoc tamen onere, & ab obligatione reddendi rationem, potest liberari a testatore. 3. si uxor, susceptis ex priore marito liberis, ad 2. nuptias transeat, ejus ex primo marito liberis cedit quicquid ab eo sive donatione sive testamento acquisivit: pariter si maritus alteram ducat uxorem. Alia de testamentis vide apud Lugo Navarrum, & alios.

APPENDIX

De Justitia, & Jure.

157. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex est justitia? R. justitia late sumpta est complexio virtutum omnium. Stricte sumpta est virtus moralis, movens voluntatem ad tribuendum cuique jus suum, hoc est, quod cuique debitum est ex jure. Dividitur in legalem, commutativam; distributivam, & vindicativam. *Legalis* est virtus, inclinans ad tribuendum Reipublicæ, seu Communitati quod ei debitum est ob bonum commune; *legalis* autem dicitur, quia habet pro objecto commune bonum, ad quod leges respiciunt. Justitia commutativa est virtus, inclinans ad reddendum personis privatis ad æqualitatem id, quod ipsis debetur vi dominii, orti ex pacto, aut contractu, ratione cujus hærent jus in re, vel ad rem. Quod pactum cum frequenter in commutatione versetur, hinc justitia dicitur commutativa. Distributiva est virtus, inclinans ad tribuendum alteri munus, officium, vel onus juxta proportionem meriti, & facultatis ejus: quare illa non respicit æqualitatem, sed justam proportionem inter rem, quæ tribuitur, & personam, cui res tribuitur. Denique *vindicativa* est virtus, inclinans superiorem ad rem pro merito puniendum.

158. *Quest. 2.* Quid est jus, & quotuplex? R. jus in genere est potestas legitima ad aliquid sibi debitum. Aliud est *in re*, aliud ad *rem*. Jus

in re est potestas ad aliquid, quod *re ipsa* est sibi obligatum, & ideo tribuit actionem in *rem ipsam*; sic venditor, qui *rem* tradidit, jus habet, & actionem in pretium; Beneficiarius per collationem acquirit jus in Beneficium. *Jus* ad *rem* est potestas, vel jus, ut *res aliqua* sit sua, quæ parit actionem in personam, sed non in *rem ipsam*, cum ea nondum sit obligata: tale est jus, quod quis habet ad Beneficium, ad quod electus est, sed ante collationem. Deinde jus in *re* dividitur in *dominium*, & *usumfructum*. *Dominium* vel est jurisdictionis, ut Principis erga subditos, vel proprietatis, ut domini erga servum, & erga res suas. Rursus: aliud est *directum*, ut Principis in feudum, & domini in prædium, datum ad *emphyteusim*: aliud utile quale habet feudatarius, & *emphyteuta*.

159. *Usufructus* est jus utendi, & fruendi aliqua re, fructus ex ea percipiendo, & qui illum habet dicitur *usufructuarius*. Differt ab *usuario*, quia hic potest fructus percipere, sed non potest illos alienare, vel locare. *Usufructuario* incumbit solvere expensas pro rei perceptione, & onera, ac vectigalia super illam imposita, ex l. *hactenus* ff. de *usufr.* Deinde tenetur rem conservare, v. g. arbores colere, domum reficere in re nona magni momenti.

160. *Quæst.* 3. An filii familias acquirant dominium peculii sui? R. hoc quadruplex esse potest, *castrense*, *quasi castrense*, *profectitium*, & *adventitium*. Ad *castrense* pertinent bona illa, quæ filius ex militia, vel occasione militiæ acquirit. *Quasi castrense* vocantur bona, quæ acqui-

runtur ex Officiis publicis, v. g. Judicis, Medici, cet. Duplicis hujus peculii proprietates pertinet ad filium, atque etiam usufructus. *Profectitium* sunt bona, quæ oriuntur ex facultatibus paternis, quæque filius lucratur in ipsis negotiando. Ea sunt Patris tum quoad proprietatem, tum quoad usufructum. Id vero, quod ex ipsis lucratur filius, erit Patris, si ejus nomine negotietur; secus vero si proprio nomine; multo minus si extra domum Patris negotietur ex alienis bonis.

Peculium adventitium dicuntur ea bona, quæ filio proveniunt aliunde quam ex paternis bonis, aut ex ejus intuitu. Horum proprietates spectat ad filium, ad Patrem vero usufructus: aliquando vero & filius acquirit usufructum, nempe quando tantum usufructus donatur illi, vel res aliqua donatur, contradicente patre. Pariter si filius una cum Patre succedit in hæreditatem fratris, vel sororis.

161. *Quæst.* 4. Quænam sunt bona uxoris? R. alia sunt *dotalia*, alia *paraphernalia*: 1. sunt, quæ uxor in dotem recepit, 2. quæ eadem attulit, vel sibi reservavit ultra dotem. Bonorum *paraphernalium* uxor habet plenum dominium, & usufructum ex l. *ac lege*, ff. de *pactis*. *Dotalium* proprietates spectat ad uxorem, usufructus, & plena administratio ad maritum l. 2. ff. de *jure dotium*. Hinc uxor post mortem viri omnibus creditoribus personalibus præfertur ex eadem lege. Quod si dos in pecunia consistat, vel in aliis rebus, quæ usu pereunt, dominium est viri cum obligatione tantundem restituendi, matrimonio soluto l. *Res in dotem*, ff. de *jure dotium*. Si au-

tem dotalia bona dentur viro æstimata, ita ut æstimatio venditionem constituat, dominium acquirat, nec soluto matrimonio tenetur nisi ad pretium reddendum, l. quoties ff. de jure dotium. Et in his duobus casibus si pereunt dicta bona, viro pereunt l. dicta res in dotem.

162. Quæst. 5. Quæ sint bona Clericorum? R. alia sunt *patrimonialia*, quæ ipsis adveniunt ex causa aliqua mere profana; alia quasi *patrimonialia*, seu *industrialia*, quæ Clerici acquirunt ex Ecclesiasticis functionibus sine beneficio, v. g. ex concionibus, Missis, cet. Alia *mere Ecclesiastica*, & sunt illa, quæ oriuntur ex Beneficio. Denique alia *parsimonialia*, qualia dicuntur ea, quæ Clericus ex redditibus Ecclesiasticis subtrahit de sua sustentatione, parcius vivendo, quam status sui honestas requirit. Jam vero circa bona *patrimonialia* certum est, Clericos habere dominium, ut constat ex c. *relatum* 12. de Testam. Idem communiter docetur de *industrialibus*, qui sunt fructus laboris, & industriæ, inter quos probabilior sententia numerat distributiones quotidianas, quæ non dantur titulo beneficii, sed pro servitio personali, seu personæ stipendio; tamen repugnant Navarrus, & Sanchez, eo quod sint partes reddituum Beneficii. De *parsimonialibus* autem potest Clericus ad libitum suum uti, ut docent TT. & Canonici juris periti cum S. Th. 2. 2. q. 185. art. 7. dicentes de Clerico: *de his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis.*

163. Quæst. 6. An, & quomodo possint Clerici disponere de bonis mere Ecclesiasticis? R.

inter omnes convenit, Beneficiarios teneri sub mortali expendere in pauperes, vel alios pios usus partem fructuum Beneficii, quæ illis superest post honestam sustentationem. Quæstio tamen utrinque agitur, utrum ad id solum ex charitate, & religione obligentur, an etiam ex justitia ut teneantur restituere, quæ in profanos usus converterint ex superfluis, ideoque dominium non habeant bonorum, quæ sint mere Ecclesiastica, absolutum, & liberum, sed gravatum onere superflua in pios usus expendendi. Et quidem negari non potest, multos, & quidem magni nominis Teologos sensisse, Clericos esse vere dominos fructuum Beneficii, quibus e Canonistis adhærent Covarruvias, Cabassutius, & alii. Horum est ratio præcipua: omnes Clerici antiquitus in communi vivebant, & bona Ecclesiastica singulis distribuebantur, prout cuique opus erat ad sui sustentationem, reliquum attribuebatur partim Ecclesiæ fabricæ, partim pauperibus. Sed postea Simplicius Papa fructus bonorum Ecclesiæ in quatuor omnino partes divisit, primam attribuendo Episcopis, secundam Clericis, tertiam fabricæ Ecclesiarum, quartam pauperibus. Idem confirmavit Gelasius Papa, & Gregorius c. *cognovimus* 29.

164. Hinc licet ante bonorum divisionem nullum Clerici bonorum Ecclesiæ dominium haberent, illud adepti sunt, postquam Ecclesia partem eorum addixit ipsorum sustentationi. Hanc doctrinam confirmant ex Trid. S. 24. c. 12. de Reform. præcipiente ut Beneficiarius omittens Horas Canonicas, privetur dimidia parte fruc-

tuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentie fecit suos. Quæ verba innuere videntur Clericos dominium suorum fructuum æquisivisse. Atque huic doctrinæ favere videtur D. Th. quodl. 6. a. 12. ad 3. ubi distinguens bona Ecclesiastica designata ab iis, quæ Clericorum sustentationi attribuuntur, ut sunt Præbendæ, ait: *in secundis non committitur peccatum nisi per abusum, sicut & de bonis patrimonialibus dictum: unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam.* Nec ab ea doctrinâ discrepat S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 5. §. 3.

165. Nihilominus contraria sententia communis est inter Canonici juris Interpretes quibus subscribunt Layman, Bonacina, & alii TT. recentiores, & videtur magis consona modo loquendi CC. & PP. qui bona Ecclesiastica passim vocant *pauperum patrimonia*, ajuntque egenis subripi, quicquid ex eis in profanos usus convertitur. Ita loquuntur Ambrosius ep. 31. *ad Valentin.* Hieronym. in Can. *quoniam* 16. q. 1. Aug. in Can. *si privat.* 12. q. 1. Greg. Bernardus, & alii. Nec aliter se explicant PP. apud Conc. Gen. Nic. 2. & Con. VIII. Œcumen. Later. III. & alia tum generalia, tum Provincialia, & in his Later. V. Tridentinum, & Mediolan. quæ posteriora fuerunt erectioni Beneficiorum. Unde bona Ecclesiastica post eorum divisionem non amiserunt rationem Boni mære Ecclesiastici, hoc est, ut PP. loquuntur, Deo, & piis usibus destinati.

166. Itaque a fidelibus data sunt in Clericorum sustentationem, sed cum obligatione ipsa non nisi in pios usus expendendi. Hæc enim vi-

detur fuisse, & non alia mens testatorum, dum Deo, & ministris ejus ea bona consecrarunt. *An ignoras*, inquit B. Petrus Damianus, *quia ad hoc Ecclesiis prædia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur?* Atque in eandem sententiam loquuntur alii PP. ut Bernardus, & alii, qui post divisionem bonorum Ecclesiasticorum scripsere. Unde hæc secunda opinio videtur magis pia, & magis consona doctrinæ SS. qui Prælatos semper vocant dispensatores facultatum Ecclesiæ. Nihilominus prima sententia satis est probabilis & gravium DD. auctoritate confirmata.

De acquisitione domini.

167. *Quæst. 7.* Quot modis dominium acquiritur? R. tribus, scilicet jure naturali, seu gentium. 1. jure positivo Civili, aut Canonico. 3. voluntate privata hominum per contractus. Additur, jure belli, sed iste quodammodo pertinet ad jus gentium. De tertio satis est dictum in tractatu de Contractibus; itaque de duobus primis tantum est hic agendum.

168. *Quæst. 8.* Quo pacto dominium acquiritur ex jure gentium? R. 1. *occupatione ex S. fere, inst. de rer. div.* ubi dicitur: *quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* Quod si dominus rei inveniatur, ipse certe reddenda res est; quid vero faciendum sit, cum incertus est dominus, quid de thesauro invento, quid de venatione, & piscatione, dicimus in Tract. de restit. Acquiritur 2. dominium *nativitate*, per quam nostra fiunt, quæ na-

scuntur a propriis animalibus ex §. 1. *Item ea.* Hinc ad usufructuarium spectant partus ovium, equarum, cet. salvo semper numero matrum. 3. *alluvione*, per quam si aliquid latenter, & sensim fundo tuo adjicitur, tibi acquiritur. Non ita, si magna pars prædii palam tuo adjicitur, tunc enim manet priori domino, ex §. *Præterea.* Ubi statuitur, quod si alveus fluvii divertat in aliam partem, novus alveus sit publicus, vel domini fluminis; antiquus autem alveus accrescit iis, qui agros utrinque habent.

169. 4. Acquiritur dominium *specificacione*, cum res in alienam speciem transit, ut si bona fide ex aliena lana vestem tibi conficias; sed teneris domino pretium lanæ persolvere. Quod si res aliena in pristinum statum reduci possit, res ad dominum pertinet. 5. per *accessionem*, cum rei alienæ ornamentum adjicitur, v. g. pictura domui, domus picta ad ejus dominum spectat, nisi res adjecta facile divelli possit, v. g. purpura vestimento intertexta. 6. per *confusionem*, seu *commixtionem*: confusio fit, cum duo corpora ita in unum coeunt, ut alterum ab altero distingui nequeat, v. g. vinum cum vino, aurum cum auro, vel argentum cum stanno; tunc autem res utrique debet esse communis prorata materiæ; si vero nequeat dividi, tribuenda est ei, cujus major est pars materiæ, & alteri pretium partis suæ solvendum. *Commixtio* fit, quando miscentur solida, v. g. nummi cum nummis, frumentum cum frumento, quæ commixtio si fiat in scio, vel invito domino, dominium ab eo, qui miscuit, acquiritur ex l. si

alieni ff. de solutionibus; quæ lex etsi de pecunia loquatur, ad res alias extendi potest ob generalem rationem, si major pars sit ejus, qui miscet. Tenetur tamen alteri reddere pretium suæ partis, ne ex alieno ditior fiat.

170. Acquiritur 7. *ædificatione* ex §. *cum in suo, cod. Inst.* Qui ædificat in fundo suo de aliena materia, sibi ædificat, sed tenetur alteri de damno. Qui in alieno solo scienter ædificat, domino soli ædificat, & materiam perdit: secus si bona fide ædificet; tunc enim potest pretium materiæ repetere, vel illam sibi vindicare, d' ruto ædificio. 8. *plantatione*, ita ut ei cedat planta, in cujus solo radices agit; qui tamen alienam arborem in fundo suo plantat, tenetur de damno: idem est de frumento, & aliis sementibus. 9. *preceptione fructum*, si facta sit bona fide, & fructus sint consumpti. Denique *traditione*, per quam tradens alteri vult in eum transferre dominium rei.

171. *Quæst. 9.* Quomodo acquiritur dominium jure positivo, Civili, vel Canonico? R. per *præscriptionem*, seu *usucapionem*; hæc licet proprie fiat in rebus corporis, hic tamen pro eodem utraque sumitur. Est autem præscriptio acquisitio domini per possessionem bonæ fidei continuatam tempore per legem definitio. Ut autem sit legitima, quatuor omnino conditiones requiruntur. 1. est bona fides, qua quis prudenter credit rem esse suam: si ab initio oritur dubitatio, non licet inchoare possessionem; quod si accedat ad possessionem bonæ fidei, præscriptio non cessat, modo diligentia debita

adhibeantur ad indagandam veritatem. 2. conditio est titulus justus, v. g. emptionis, donationis, cet. sive re ipsa existat, sive prudenter, ac probabiliter existere putetur, qui tunc dicitur *coloratus*. 3. possessio continuata per tempus a lege præscriptum. Cum titulus adest, res mobilis triennio præscribitur ex *instit. de usucap.* Cum vero titulus non adest, non præscribitur nisi post annos triginta. Atque id etiam temporis etiam requiritur ad præscribendum in rebus immobilibus privatorum, sine titulo ex *t. 3. eod. de præsc.*

172. Cum non solum adest titulus *coloratus*, sed verus & proprius titulus, prescribuntur bona immovilia privatorum post annos decem inter præsentem; & viginti inter absentes. Præsentem autem dicuntur ii, qui in eodem habitant territorio, etsi non in eodem oppido. Quod si quis partim fuerit absens, & partim præsens, ad præscribendum, ex auct. *quod si c. de præscr.* tot anni sunt abjiciendi, quot numerantur absentiam; ita ut duo anni absentiam numerentur pro uno presentiam. Res immobiles Minoris requirunt annos triginta ad prescriptionem. Bona immovilia Ecclesiam, vel alterius loci pii non præscribuntur nisi post annos quadraginta, & bona Ecclesiam Romanam post annos centum, ex auct. *quas actiones c. de Ss. Ecclesiis.*

173. Quarta conditio est, ut res sit apta prescriptioni. Plura enim sunt, quæ omnino præscribi nequeunt, ut sunt res publicæ, jura spiritualia, v. g. jus decimarum, jus conferendi beneficia, non autem jus patronatus. Res fur-

tivæ nunquam a jure præscribuntur; si quis autem eas bona fide accepit a fure, requiruntur ad prescriptionem 30. anni inter præsentem, 40. inter absentes. Hæres, qui bona fide accepit rem a testatore malæ fidei, in probabiliori sententia non præscribit; cum hæres censetur una, eademque persona cum testatore; eique succedat tum in omnia illius jura, tum in obligationes, quarum una est restituendi rem malæ fidei possessam. Constat ex *lib. 11. ff. de div. temp. præscript.* ubi legitur: *cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignoracione sua defuncti vitia non excludit.*

174. Aliud est de rebus, quæ alio titulo, quam hæreditatis, accipiuntur bona fide, v. g. emptione, donatione, cet. quæ prescribuntur tempore a lege statuto Excipe res furtivas, aut vi oppressas, quæ requirunt annos saltem 30. ac res immoviles; si ille, contra quem præscribuntur, ignoret eas ab alio possideri; tunc enim non possunt præscribi nisi post annos triginta ex auct. *malæ fidei Cod. de præst. longi. temp.* Denique in his, quæ attinet ad prescriptionem præter jus commune, consulendæ sunt leges particulares, consuetudines provinciarum; sæpe enim a lege municipali corriguntur jura communia. Notandum autem, per prescriptionem legitimam acquiri dominium etiam in foro conscientiam; cum possit lex humana ab uno in alium dominium transferre ob commune bonum, & ad lites, & jurgia vitanda.